

factiones radicatae sunt, posse pro bono pacis ac quietis duos defitores ex vtraque factione eligi, ac Prouinciales alternatim. Et ad id obligationem esse sub reatu culpae lethalis. *Cap. 24.* addit posse condi statutum ne extendatur ad plures duobus electio; Priores, aut Guardianos, & similiter Definitores, ex vna natione: & sine statuto id stare melius posse, etiam in ordine ad alternatiuam Prouincialium. *Cap. 25.* statuit eos, qui sunt diuersae nationis, praeserentes specialem ac naturalem aemulationem, vt sunt Hispani, Galli, & Germani, in muneribus Religiosis debere exaquare, ne sit respectu illorum acceptatio personarum. Cum vero factiones radicatae non sunt, sed Prouincia incipit ea peste conficiari in aliis ob diuersas rationes aemulationem praeserentibus, non esse alternationum remedium vtendum; quia non tam remedium, quam fomentum factionum erunt, & qui diuisionem facere moliantur ratione finis, amicitiarum, conciuuium &c. lethaliter peccare, dum in id tendunt, vt suffragiorum fauor in electionibus ad suos tantum inclinetur. Iuxta haec ergo videant Religiosi Indiarum quid sibi sit iuxta Auctoris dicti discursum faciendum. Alternatiuam enim tantum concedit, quando factiones sunt radicatae, & consequenter Religiones deformatae, vnde damna illa sequuntur, de quibus *n. 8.* Si autem radicatae non sunt, sed iam pullulare incipiunt, alternatiua non debet admitti, quia per illa fauentur factiones, cum sit manifesta diuisio.

Condescendat naturalis aemulationi inter Indios, & Hispanos, ex scriptura vt possit ostendi.

A& c. v. 1.

P. Gaspar Sancius.

Sed vna alter se habere in

11 Dicit potest in Indiis locum habere quod de diuersitate nationum dicitur, quatenus in Hispania & in Indiis nati, e patriis sedibus diuersum quoque ingenium trahunt, vnde aemulatio etiam specialis & naturalis si fuerit, non debet videri mirum, sed condescendum ipsi, sicut & aliis apertius oppositis citatus Auctor conueniendum in electionibus arbitrat. Pro quo facit id, quod *Act. 6. v. 1.* legimus, vbi sic scriptum: *In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum aduersus Hebraeos, eo quod despicere viderentur in ministerio quotidiano viduae eorum.* Graeci namque, quorum factum murmur, non genere tales erant, sed Hebraei in Graecia nati, vt videri potest apud Patres Gasparem Sancium, Cornelium, & alios: ex quibus ille diuersitatem nationum in hoc ipso recognoscit. Et hinc factum vt murmuris occasio non leuis accesserit, eo quod despicere viderentur in ministerio quotidiano viduae eorum: circa quod idem sic habet: *Origo ergo murmuris videtur fuisse haec, quod viduae Hebraeae, eo quod Hebraeae essent, arrogarent sibi honoratiora & locupletiora ministeria, praesertim distribuendi cibos & vestes; viliora vero & tenuiora relegarent ad Graecos.* Rursum quod in distributione ciborum & vestium magis fauere, plusque dare viderentur Hebraeis, quam Graecis. Sic doctus Pater, & est illud ipsum quod in Indiis nati secum agi conueniuntur: quod scilicet nati in Hispania honoratiora sibi officia, & locupletiora arrogant, vilioribus pro iis relictis, qui nati in Indiis, quibus & minus liberaliter prouidentur. Merito ergo eorum murmur ad Pontificum potuit aures adduci, & ab illis alternatiuarum remedium adhiberi.

12 Sed certe non ita in Indiis res se habent, vt remedio tali sit opus in eisdem natos se tueri. In Hispania nati, & nati in Indiis, diuersae nationis

non sunt, neque Giraco tale quid in mentem venit. Omnium coloridem, habitu corporum, lingua, vestitus, vt multo externo signo disparitas possit originis deprehendi. Quod & in moribus est cernere, paribus aut virtutibus, aut vitiis, acsi omnes idem natale solum habuissent. Quod si quidquam e caeli, aut educationis conditione diuersa contingat, id equidem inter nationes omnes videmus accidere: nulla enim est, in qua non occurrant naturae disparitatis argumenta, vnde & aemulationes; neque illae circa charismata meliora. Immo in ciuitate eadem natos scindi in contraria notissimum: interque ipsos Indios, vt vulgo vocantur, seu Criollos, magna diuersitas est, pro diuerso in quo nato loco, quod & ingeniorum diuersitas manifestat. Sicut ergo pro quacumque discrepantia aut aemulatione non debent alternatiuae permitti, ita neque pro illa, de qua agimus, sed vnusquisque suis pro meritis honorandus.

13 Quod quidem ab Apostolico sanctissimum & prudentissimum dispositum in exemplum posteriorum. Septem elegerunt Diaconos, qui omnes ex iis erant, qui nati in Graecia, vt citati probant, quia inter illos inuenire potuerunt dignissimos, & praesertim Stephanum eminentissimum & Apostolicam sanctitatis, alternatiua non vsi, vt tot ex Hebraeis, tot ex Graecis, cum successione mutua ministrarent, sed ex Graecis omnes, quia sic expedire iudicauerunt. In quo & offensionem eorumdem occursum, vt adnotat P. Sancius ita scribens: *Fecerunt autem prudenter Apostoli, vt Graecorum offensionem ac dissensionem occurrerent, qui Diaconos ex Graecis ipsis elegerunt, &c.* Sic enim & in Religionibus agendum, vt offensionem, quando non leue fundamentum habet, prudenter, sed sine alternatiuis, occurratur.

14 Vbi & obseruandum, non eos electos, a quibus murmur profectum, sed eos, in quibus dotes eximia, quas quaerendas sibi statuerant, inueniunt. *Viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto & sapientia, v. 3.* Non ergo murmur in illis, quocum Spiritus sanctus nullum potest habere commercium. Vnde *Sapient. 1. v. 5.* sic habetur: *Spiritus enim sanctus disciplina effugiet factum.* Et cum alia de linguae moderatione subiiciat, sic Spiritus ipse sanctus hortatur: *Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, & a detractione parcite lingua, &c.* Neque ego de alternatiuis plus addiderim, Religiosos Patres monuisse contentus, vt Dei & Religionis causam, non suam & suorum agant, ne se & illos periculo damnationis exponant. Tremendum profectum illud, quod Giracus non veretur affirmare, dum sic alloquitur Factionarios *num. 127.* *Vultis Factionarios destruere factiones lingua, & non votis ac moribus, iniusto modo solito per tot annos maculando conscientiam, & implendo infernum animabus sanguine Christi redemptis.* Haec ille, & alia. Mihi autem Deo gratia animatus agendam, qui in loco pastus e ibi me collocauit. *Psalm. 22. v. 1.* tamquam ouem scilicet, quam ipse vt Pastor regit, ad quam nulla de electionibus spectat cura, sed de obedientia proprio adhibenda Pastori. Et dum proprijs exulto, aliena non carpo. Videant alij quid sibi plus placeat; dummodo & Deo placere possit. Vae autem si, iuxta nuper dicta, contigerit displicere.

dijs aperte manifestatur.

Apostolorum sanctissima dispositioem pro contraria praesertim stare.

P. Gaspar Sancius.

Non electos, in quibus murmur.

Act. 6. v. 3.

Sap. 1. v. 5.

Giraci tremenda sententia in Factionarios.

Psalm. 22. v. 1.

v. 1.

15 Tertium: An visitatores, Vicarij Generales, & alij, qui Superiori cum potestate mittuntur, ingentem possunt summam pecuniae colligere, & eam secum in Hispaniam asportare.

Damna collectionis praedictae recensentur.

Scandali.

Violata paupertas.

Gubernationis praepostera.

Violata iustitia.

Et charitatis.

Certa esse omnia illa.

Irrefragabile aliud argumentum.

Quid possit iusto fieri.

Circa quod (quidquid re ipsa acciderit, de quo Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. numer. 38.*) negari nequit rem esse periculo plenam, & in ea scandalum saltem inuitabile reperiri. Vnde ij, qui aliquid dederunt, si minus officiosos accipientes experiantur, eos sunt soliti vocare raptores, & pyrratas; neque doloris acerbitas intra domesticos tantum parietes talia patitur inhonestamenta iactari. Aliunde etiam graue paupertati praedictum generatur, si ita accipientium aded peculium accrescat, vt inter populares, aut Ecclesiasticos diuites possint numerari, iuxta dicta *Timolo 17. num. 59.* sicut & Religiosae gubernationis: dum enim officia muneribus distribuuntur acceptis, attentio ad merita esse nequit, & ita administratio praepostera subsequetur. Sic ergo distributiuae iustitiae negatur locus, & commutatiuae etiam ex eo leges violari noscuntur, quod ingens summa illa pecuniae Indicijs Prouincijs eripitur ad quas spectat, cum ad earum spectet Religiosos, quarum necessitatibus applicari debuit, ab eisdem cum querelis ad Regium datis Senatuum identidem deploratis. Vnde & charitas violata, iuxta quam proximioribus debet praesertim subueniri, quando cetera sunt paria. Pro quo D. Thomas *2. 2. quaest. 32. art. 9.* & ibidem Interpretes, atque alij communiter, ex quibus videri possunt Cardinalis Tolerus, *Lib. 8. Cap. 39.* & alij, quos ibidem adducit Victorius. Et Bassus verb. *Eleemosyna, num. 16.*

16 Et haec quidem aded certa videntur, vt dubitatio circa illa esse nequeat, nisi apud eos, qui claudere sibi oculos voluerint, vt non adspiciant meridianam lucem veritatis. Quibus aliud irrefragabile roboris argumentum accedit. Rogo enim vnde habeant pecunias istas, quas Religiosi tribuunt? Si intra Conuentus habitant, quae adquirent, illorum sunt, neque possunt adquirenti iure ad Praelatos spoliari. Si extra Conuentus, & per loca vagantes, in quibus auri & argenti sunt fodiinae, ad aliquem solent Conuentum pertinere; vnde eadem de illis, quae de praedictis ratio est. Si ad nullum: filiationem tamen in Prouincia habent, vnde Prouincia acquirunt, pro quo apud eas specialia erant statuta. Aut doctrinarij sunt; & tunc quidem sicut applicari Conuentui possunt, quae supersunt, iuxta dicta *Titulo 17. num. 57. & 58.* ita & offerri Praelato. Sed ille sic oblata religiosi debet expendere, neque applicare sibi, sed necessitatibus Prouinciae subleuandis, quia earum est Caput, & illum non debet necessarium influxum denegare. Neque excusationi locus ex eo quod in Hispania etiam necessitates sunt, & quidem magna, quibus vt subueniatur, cum idem corpus Religionis sit, videtur charitas imperare. Nam cum necessitates Indiarum Prouinciarum de proximo urgeant, illis debet potius ab iis consuli, qui earum gubernationem pro bono ipsarum solummodo susceperunt. Pro quo videri potest Bassus verb. *Paupertas Religiosa, num. 13.* vbi alios adducit. Contra quam obligationem non erit si aliquando subsidium nonnullum in Europam transmittatur, pro necessitate aliqua

Conuentus Ordinis non vulgari, siue virorum sit, siue foeminarum; qualis illa, de qua ante annos non plures Regia est auctoritate conscriptum, vt Monialibus Teresianis Couentus Culagurritani eleemosyna in Peruuio querebatur, quarum tanta erat indigentia, vt pro emendo oleo, quo lampas ante altare maius arderet, copia non supereretur.

17 Quartum, circa Praelatos dictos id pro certo statuendum, quod neque ipsi possunt ignorare, in electionibus scilicet Religiosis non esse adimendam libertatem; pro quo Iura clamant: vnde non sustinendum, vt audita non raro illa inualeat vox in Capitulis, vnum tantum esse suffragium. Quid alibi accidat; nescio; in Indijs Praelati dicti amplissimam gaudent potestate, vt Virgilianum illud pro illorum quolibet possit assumi. *6. Aeneid.*

Nonnulli quisquam se impune tulisset Obuius armato.

Circa quod multa dici possent, quae apud Auctores occurrunt, de electionibus praesertim Religiosis agentes, in quibus Rapius de Regimine Regularium *Pag. 522. n. 1. & seqq.* & praesertim apud Castellinum, qui integro opere huiusmodi exequitur tractatione. Illud tantum expendam, quod pro casu praesenti specialius videtur urgere, ex *Cap. Cum terra, de Electione*, vbi Coelestinus III. ita loquitur: *Sicut ex quarundam litterarum tenore accepimus, quidam in electionibus prauae consuetudinis moribus irrepserunt; vt cum alicuius Praelati electio debet celebrari, Conuentus, ad quem pertinere dignoscitur, duas personas nominet latenter, auribus Patriarchae vel Principis exprimentas, vt sic alterius eligenda, vel totius electionis penitus irritanda idem Patriarcha vel Princeps plenaria habeat facultatem. Quia igitur hoc redundat in grauem perniciem Ecclesiae libertatis, praescriptam consuetudinem prauitatem sancimus penitus abolendam. Statuentes vt forma electionis Canonica in omnibus Conuentualibus Ecclesijs obseruetur, &c.* Circa quam Constitutionem sic inserto Glossa *5. Cum terra.*

Non valet consuetudo, per quam Collegium ad alterius voluntatem tenetur sibi eligere Praelatum. Sic ille.

18 Ratio decisionis est clara in ipso Textu, quia scilicet dicta consuetudo redundat in grauem perniciem Ecclesiae libertatis. Quod non est propterea dictum, quia saecularis potestas se Ecclesiasticis rebus immiscet; sic enim de Principe tantum deberet dispositio procedere, & non de Patriarcha, quem constat Ecclesiasticam potestate omnium post Papalem, supremam gaudere. Neque copulatiua decisio est, vt scilicet tunc electio damnanda sit, quando Patriarchae & Principis voluntas interuenit; sed disiunctiua, vt constat ibi: *Patriarcha, vel Principis.* & iterum: *Idem Patriarcha, vel Princeps.* Ecclesiasticae ergo libertatis nomine illa debet intelligi, quae in electionibus est Ecclesiasticis obseruanda, in qua nec Princeps, Patronus scilicet, de eo enim praedicta dispositio procedit, vt cum alijs docet P. Suarez *Tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 6. n. 19.* neque Praelatus, quantumlibet polleat dignitate, libertatem possunt eligentium conuulsare.

19 Gratis autem perniciem in eo est satis manifesta, quod ex Miranda Giracus expendit *Parte 1. numer. 139.* quia videtur fere impossibile quod subditi sic coarctari diligant & ament Praelatos electos

Praelatos in electionibus suffragan- tium non debere ob- sistere liber- tati.

Cap. Cum terra, de Electione.

Glossa.

Ratio deci- sionis, & illius expli- catio.

Gratis per- niciem ex violatione libertatis expendunt.

Citacus.

lectos, & contra. Quos autem subditos amore non prosequantur Prælati, quoniam pactos regere ac gubernare rectè poterunt: cum amor sit, atque esse debeat totius boni regiminis, & recte gubernationis exordium, vice etiam versa, quos subditi non amant, nullo pacto reuereri, debitamque obedientiam illis præstare poterunt. Sic illi, & quidem verissimè, philosophantur: Neque Prælati disti causam suam iustificare pergant, ex eo quòd electores sponte se offerunt, suffragaturi iuxta eorundem voluntatem. Hoc enim etsi sponte videatur fieri, reuera non fit, sed ex humano timore, quia si ita non fecerint, in eorum indignationem incurrere pertimescunt. Non debent ergo voluntatem suam reddere manifestam, sed unicuique secum iudicium relinquere, vt id, quod sibi melius coràm Deo visum fuerit, exequatur. Nisi fortè talis persona inter eligendos occurrat, per cuius electionem bonum Religionis speretur singulariter promouendum, vt aliquot ante menses in hac Limana vidimus ciuitate, dum omnium suffragiis in voluntatem Generalis Vicarij remisissis, eius sibi electionem in Prouincialem placere dixit, qui nihil de illa cogitabat, sed paulò antè renuntiationem Magisterij, & consequenter vocis in Capitulo, ab eodem Vicario scripto sincerissimo & veracissimo pij, humilis, & penitus Religiosi affectus indice, postularet. Quod felix faustumque fuisse, gubernationis, vt credo, progressus manifestant.

Quid non damnandum in hoc genere.

Regis expensis in Indias venientes qualem subeant obligationem.

Dom. Solorzani.

Ad restitutionem vt teneantur, exemplo accipientium stipendia pro Missis accendit.

Caramuel.

20 Quintum, Consideratione digna occurrit obligatio, quam subeunt ij, qui Regijs expensis in Indias tendunt, ad Indorum curandam conuersionem, & negotium fidei promouendum: de quo Dom. Solorzani citat. Cap. 26. num. 93. & 94. Vbi ex Miranda ait grauius eos peccare, & ad expensas in viatico factas Regi teneri, si in Hispaniam eo inconsculto redierint, vel in aliis Prouincijs remanserint, ad quas non sunt destinati. Pro quo Regia rescripta extant, & Bulla etiam Pontificia cum grauibz Censuris & pœnis, cuius mentio habetur in Regia Scheda An. 1611. die 7. Septembris, contra eos, qui in Hispaniam reuertuntur, si præsertim in Philippinas Indias Regia se directione contulissent. Quod tamen parum, (heu dolor) in multis eorum seruatur, (citati Scriptoris verba sunt) qui frequenter appetunt Prouincijs magis pingues, & delicias ac Monasterijs affluentes, & parum de Indorum conuersionibus, Missis, & quibus conducuntur, curantes, omnium studium collocant vt in dictis Monasterijs Priores, Guardiani, Diffinitores, ac Prouinciales creentur. &c.

21 Quæ quidem iuxta regulas iustitiæ procedunt, si res ita eueniant: restitutionis inquam onus transgressoribus pacti initi ab eisdem incumbere, sicut de obligatione dicendi Missam, in eo, qui stipendium accepit, communiter sentiunt Doctores, iuxta dicta in Appendice præced. circa Primum & secundum. Pro quo & Caramuel in Theologia fundamentali Fundam. 13. quæst. 2. num. 345. Ex quo infert, quòd si stipendium restituat Sacerdos, non tenetur, qui dedit, recipere, sed posse eum vrgere vt stet contractui; nisi fortè grauis causa inopinata emerferit; tunc enim videtur debere pretium recipere, Sacerdotemque à celebrandi onere liberari. Iuxta quam doctrinam dici etiam potest, quòd si causa inopinata emer-

ferit, propter quam Religiosus debeat in Hispaniam remigrare, liberum ab obligatione contracta remanere. Sed addendum, ad restitutionem non teneri; quia bonâ fide, quod est pro viatico datum, insumpsit, & non est inde factus locupletior, iuxta communes regulas in materia restitutionis. Neque est idem de Clerico, qui stipendium accepit, quia per se loquendo ditior inde factus est. Aut enim insumpsit stipendium pro sustentatione, vel non. Si Primum: id plus habet ex propriis bonis, quod reuera insumpsisset. Si secundum: manifestius est ditiores factum, cum id habeat, quod alijs non haberet. Religioso autem cum sit debita sustentatio à Religione tribuenda, ex dato pro alimentis à Rege nihil accrescit: id enim habet, quod esset alijs habiturus. Neque Conuentus, à quo egressus, ditior factus ob cessationem impensæ in eius sustentationem, quia loco eius alium recipere debet: & maiora forsitan passus detrimenta, si Religiosus bonis erat talentis præditus, quales eos decet esse, qui ad Apostolica munia deliguntur. Præterquam quòd de Regia liberalitate non est tale aliquid præsumendum.

Sed notanda exceptio, & doctrina pro stipendio.

Conuentus ad illam non tenetur.

De obligatione non mutandi Prouincijs & occupationes, ad quas sunt destinati.

Notanda doctrina.

22 Alia autem quæ prædicti Auctores addunt de non mutandis Prouincijs, iuxta Pontificia & Regia Decreta, satis verosimilia sunt. Nam Euangelici Ministri mittuntur secundum notitiam, quæ habetur, necessitatum in diuersis locis. Cum ergo & iussio prædicta vigeat, & necessitas exigat, pro illiusque subuentione impensæ factæ sint non modicæ: circa hæc sine vrgenti causa deficere, satis apparet defectum esse grauissimum, & ita non leue in eo tantummodò peccatum inueniri. Quia verò multoties, quæ à postulantis asserta fuerunt, non ita esse deprehenduntur, eò quòd & ipsi à referentibus decepti, poterunt tunc Euangelici Ministri ibi zelum exercere suum, vbi albz regiones fuerint ad messum, vel vt tandem aliquando albescant, sementem Euangelicam inchoare. Cum autem qui mittuntur, Prælati Indiarum debeant esse subiecti, suæ satisfaciendæ conscientiæ, si eorum se moderationi permittant, significatâ promptâ ad salutem Indorum diligenter curandam voluntate. Neque Prælati peccabunt, si eos quandoque ministerijs alijs pro bono Religionis applicauerint, quia ad illa, quæ ab ipsis præstari possunt, alios applicant, qui ad ipsa minimè tenebantur. Et cum Indorum bonum ex Religiosis familijs ritè constantibus magnâ ex parte dependeat, eorum profectò res agitur, cum earum statui meliori consulitur, Magistris, & Prælati conuenientibus designatis. Absit ergo genij indulgentiæ, auaritiæ pestis, & ambitionis tempestas, & quidquid præterea bono fuerit zelo peractum, & Pontifici, & Regi, non terreno solum, sed sæculorum, immortalis, & inuisibili, non dubitent placitum.

Nec de Religiosis plura, quos obligationum suarum satis futuros conscios reputamus, à quibus si desciuisse contingat, non ignorantia, sed præualidi alicuius affectus est immoderantiæ tribuendum, pro quibus medicinam opportunam ministrabunt alij, & præ alijs elegans & solidus, ac neruosus semper P. Carolus Scribanus in suo Medio Religioso.

TITVLVS XX.

DE APOSTOLICORVM INQUISITORVM IN REGNIS INDIARVM OBLIGATIONIBVS.

Inquisitorum obligationes sat plures sunt, de quibus etiam plures scripsere Doctores, & magnis voluminibus sunt easdem prosecuti. Mihi pro Indicis nonnulla tantum addenda ad doctrinam complementum; cum sciam alijs ipsos probè instructos, & adimplendo omnium præstantissimo ministerio sedulam operam exhibere. Sit ergo

CAPVT I.

Indicis Inquisitoribus quale circa munerum receptionem conscientia onus incumbat.

Clement. II. statutum circa munerum receptionem.



Ira hoc in Clement. 2. de hæreticis, sic habetur: & tam ipsorum (scilicet Inquisitorum) quam Episcoporum, seu Capitulorum, Sede vacante, super hoc deputatis Commissarijs quibuscumque, districtius iniungentes, ne prætextu officij Inquisitionis, quibusvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant: nec scienter assentiant Ecclesiarum bona ob Clericorum delictum, prædicti occasione officij, Fisco etiam Ecclesiæ applicare. Quod si secus in his vel eorum altero fecerint, excommunicationis sententiæ eos subiacere decernimus ipso facto. A quâ non possint absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorsit, plenè satisfecerint, de pecuniâ sic extorsâ. Sic Clemens V. in Concilio Viennensi. Pro Inquisitoribus autem Hispaniæ, & consequenter Indiarum, statuitur in Hispanensibus Instructio. 1. Cap. 25. & in 2. Cap. 1. & in 4. Cap. 15. quæ apud me est Abulenſis vt Inquisitores dona non recipiant, etiam ab Officialibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quibus prædictis

Pro quo & Instructio Hispanensibus.

Assertio 1. Clementina pœnam non incurrit gratuita munerum largitione.

2 Dico primò. Per gratuitam munerum collationem non incurritur pœna Clementinæ. Id clarum: quia ibi extorsio non est. P. Suarez Tomo 5. in 3. p. Disput. 23. Sect. 5. nimer. 25. Bonacina Tomo 3. Disputat. 2. Quæst. 10. Puncto 10. num. 2. qui id statuunt, etiam aduertant dari ob officium S. Inquisitionis, qui ea accipiunt. Vt tenent etiam P. Thomas Sancius in Opere morali Lib. 2. Cap. 20. num. 7. P. Fragosus Tomo 2. pag. 517. 9. Dictum. & Diana Parte 4. Tractatu 8. Theauri Indici Tom. II.

Resoluto 28.

3 Dico secundò. Quæcumque actio, aut actionis omisso, quæ in causa sit vt pecunia ab inuitis conferantur, extorsio est, & pœnis Clementinæ subiecta. Id etiam constat: quia vbi inuitus quis est, violentia interuenit, quam nomen indicat extorsionis, non physicam, sed moralem, quia libertatem absolute non tollit, sed talem vim inducit, vt iuxta humanam inter mortales necessitatem, sine graui ei nequeat damno, aut illius suspitione probabili, repugnari. Videatur D. Thomas 12. quæst. 6. art. 5. & 6. & Interpretes ibi.

Assertio 2. Quæ actio vt extorsionis habeat.

4 Dico tertio. Si absolute quis inuitus non donet, sed tantum aliquoties, non est extorsio, quæ veniat Clementinæ pœnâ plectèda. Probatur. Quia quod sic datur, absolute non extorquetur; quandoquidem tantum intercedit vis aliqualis, quæ secundum quid talis sit: cum autem actus aliquis pœnâ impositâ prohibetur, non qualificumque, sed absolute talis debet intelligi, iuxta receptam Scriptorum doctrinam, de qua alijs, & pro qua videri potest P. Suarius Tomo 5. citato Disputat. 4. Sect. 3. & Tomo 1. de Religione Libr. 4. Cap. 55. num. 14. & Cap. 56. num. 33. & P. Thomas Sancius Lib. 10. de Matrim. Disput. 4. n. 12. & Lib. 2. Consil. mor. Cap. 3. Dib. 106. numer. 4. & quamplures apud Dianam Parte 5. Tract. 9. Resolut. 48. Vnde etiam quis inuitus sit, & solum ob vitandam vexationem, & rigorem Inquisitionis offerat, non incurrit ab accipiente excommunicationem, quia crimen ibi conuersionis non est, docent cum alijs P. Sancius, & P. Fragosus. Quod tunc videtur intelligendum, quando vexatio & rigor non eò tendunt, vt pecuniæ extorqueantur; alijs stat resolutio Assertionis præcedentis.

Assertio 3. Nô quancumque inuiti donationem pœna subiaceret.

5 Dico quarto. Probabile est id, quod de pecunia dicitur non esse ad alias pretio æstimabiles extendendum. Sic iudicat Bonacina supra num. 3. quia verba formaliter, & in significacione propria sumenda sunt; præsertim cum sumus

Assertio 4. Pœnam circa pecuniarum tantum receptionem vt vera sunt, pro babili.